



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Quid alij Patres fecerint & dixerint co[n]tra iudicia conde[m]natiua  
alioru[m]. C. XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

terna tabernacula. Ecce enim adsunt Propheeta, qui te in suum suscipiant chorum. Et cum sequenti die quidam Presbyteri ad eum visitandam venissent, omnia eis, quae sibi Dominus reuelauerat, nota fecit, dicens ad eos, nullum in hoc seculo debere despicere, etiamsi latro sit aliquis, aut in scena positus, etiamsi cultum ruris exerceat, & coniugio videatur adstrictus, etiamsi negotiator dicatur, & mercimonis seruiat; tamen in omni ordine humanae vitae, sunt animae Deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur Deus. Et cum similia de singulis quibusque differisset, tradidit Spiritum. Evidenter autem Presbyteri qui aderant, & omnes fratres viderunt eum ab Angelis suscipi, hymnum canentibus, & collaudantibus Deum. Ita scriptum est in eius vita, descripta in Vitis PP. à nostro P. Heriberto Rosweydo editis libr. 2. pag. 475.

134. Solent enim magni Dei serui & valde magni sancti, ut erat S. Philippus Neri, quaedam non mala, sed indifferentia facere propter Deum, ut habeantur pro hominibus ordinatis, & vilescant in opinione aliorum, nec tamen condemnandi sunt.

135. Ideo qui sunt obnoxii iudiciis temerariis, exequantur consilium Abbatis Pæmenis: Quidam frater requisivit Abbatem Pæmenem, dicens: Quomodo potest homo vitare ne loquatur malum de proximo suo? Respondit Senex: Ego & proximus meus duas imagines sumus: cum ergo meam prospexero, & reprehendero me, inuenitur imago fratris mei apud me venerabilis. Quando autem meam laudauero, tunc fratris mei imaginem prauam respicio. Tunc ergo de alio non detraho, si semper meipsum reprehendo.

136. Et Abbatem Hyperichij qui dixit: Melius est comedere carnes & vinum bibere, quam comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Euam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solum, sed & audientis animam perdit.

137. Et dictum Abbatis Ioannis menti infixum habeamus qui solebat dicere: Paruam Sarcinam dimisimus, id est nos ipsos reprehendere, & granem portare elegimus, id est ut nos iustificemus, & alios condemnemus.

138. Quidam Timotheus anachoreta, negligentem fratrem aliquem audiens, interrogante ipsius Abbate, quid illi fratri faceret, dedit consilium ut eum expelleret de canobio. Cum ergo ille fuisset expulsus, tentatio venit ad Timotheum: & cum ploraret in conspectu Dei, & diceret: Miserere mei, venit ad eum vox dicens: Timothee, ideo tibi hac causa venit, quia fratrem tuum in tempore tentationis tuae despectisti.

139. Quidam frater requisivit Senem, dicens: Quomodo potest anima humilitatem adipisci? Ille respondit: Si sua tantummodo, & non alterius mala consideret.

140. Quidam Senex dixit fratri: Omni die vicinam tibi mortem esse cogita; quasi iam clausus sis in monumento, nihil de hoc seculo cures. Timor Dei ingit per maneat in te, in omni hora. Crede te hominibus

omnibus inferiorem esse. Non detrahas alicui, quia Deus cognoscit omnia; sed esto pacificus cum omnibus, & dabit tibi Dominus requiem semper.

Frater interrogauit Senem: Quomodo venit timor Dei in hominem? Et dixit Senex: Si habet homo humilitatem & paupertatem, & non iudicat alterum, sic venit in eo timor Domini.

Dixit Senex: Vita Monachi haec est opera, obedientia, meditatio, & ut non iudicet, aut non obloquatur, aut non murmuret. Scriptum est enim: Qui diligit Dominum, odite malum. Monachi vita haec est, non ingredi cum iniusto, neque videre oculos sui mala, neque curiosè agere, neque scrutari, neque audire aliena: neque manibus rapere, sed magis tribuere, neque superbire corde, neque cogitatione malignari, neque ventrem implere, sed cum discretionem omnia agere. Ecce in his est monachus.

Dixit Senex: Roga Deum, ut det laetum in corde tuo & humilitatem: & respice semper in peccatis tuis, & non iudices alios; sed esto subiectus omnibus, & ne habeas amicitias cum muliere, neque eum patro, neque cum haereticis. Absconde à te fiduciam, & retine linguam tuam & ventrem, & abstine à vino. Et si quis loquitur tecum de quacunque causa, non contendere cum eo. Sed si bene dicit, dic; Etiam, si autem male, dic ei: Tu scis, quod loqueris. Et ne contendas cum eo de his, quae locutus es, & tunc erit mens tua pacifica.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quid alij Patres antiqui dixerint & fecerint contra iudicia condemnata aliorum.

Extat in Vitis Patrum libro quinto, totus libellus nonus. Auctoris Graeci incerti, interprete Pelagio S.R. Ecclesiae diacono, postea ad Romanum Pontificatum euecto, ut scribit noster Rosweydeus Prolegomeno 14. ad Vitas Patrum, & adducit testem R. P. Georgium Garnesfelt.

Quidam frater peccauerat, & inquit eum presbyter exire de Ecclesia. Surrexit autem Bessarion, & exiit cum eo, dicens: Ego peccator sum.

Frater aliquando in Scribis inuenit est culpabilis, & fecerunt Seniores Conuentum, & miserunt ad Abbatem Moysen, dicens, ut veniret: ille autem venire noluit. Misit autem ad eum presbyter, dicens: Veni, quia plebs fratrum te expectat. Et ille surgens venit. Tollens autem securam sportam vetustissimam, impleuit eam arenam, & post se portauit. Illi vero excurrunt ei obuiam, dicens: Quid hoc est, pater? Dixit autem eis Senex: Peccata mea sunt post me currentia, & non video ea, & veni ego hodie iudicare aliena peccata? Illi autem audientes, nihil locuti sunt fratri, sed ignouerunt ei.

Interrogauit Abbas Ioseph Abbatem Pastorem, dicens:

147. dicens: Dic quomodo monachus fiam. Et dixit ei Senex: Si vis requiem inuenire & in hoc & in futuro seculo, in omni causa dic: Quis sum ego? & ne iudices quemquam.

148. Frater quidam interrogauit eum iterum, dicens: Si uidero culpam fratris mei, bonum est celare eam: Dixit ei Senex: Quacumque hora regimus peccatum fratris nostri, reget etiam Deus nostrum: & quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, & Deus nostras similiter prodet.

149. Offendit aliquando frater in congregatione. Erat autem in ipsius locis quidam solitarius, qui iam longo tempore foris non exibat. Veniens autem Abbas de congregatione illa ad eum, indicauit de fratre illo qui offenderat. Et ille dixit: Expellit eum. Expulsum autem frater de congregatione, misit se fossatum, & flebat ibi: contigit autem ut alij fratres euntes ad Abbatem Pastorem audirent eum in fossatu plorantem: qui descendentes ad eum inuenerunt eum in magno dolore constitutum, & rogauerunt eum, ut iret ad Senem illum solitarium; & non acquieuit, dicens: In hoc loco moriar ego. Venientes autem fratres ad Abbatem Pastorem, narrauerunt ei de eo. Et rogauit eos, ut irent ad eum, dicentes: Abbas Pastor vocat te ad se. Quod cum ei dixissent, perrexit ad eum. Et uidens eum Senex afflictum, surrexit & ocularus est eum, & adgaudens ei rogabat ut sumeret cibum. Misit autem Abbas Pastor unum de fratribus suis ad illum solitarium, dicens: Audiens de te, multi anni sunt, quod te videre uolui, & pro pigritia nostra amborum non posuimus nos inuicem uidere: modò autem Deo uolente & occasione facta fatiga te usque huc, ut nos uidere possimus: erat enim non egrediens de cella sua. Quod cum audisset, dicebat: Nisi Deus inspirasset Seni illi de me, non misisset ad me. Et surgens uenit ad eum. Et saluantes se inuicem cum gaudio federunt. Dixit autem ei Abbas Pastor: Duo homines erant in loco uno, & ambo habebant mortuos suos. Reliquit autem unus mortuum suum, & abiit plorare illius alterius. Audiens autem hac senex, compunctus est in sermone eius, & recordatus est quod fecerat, & dixit: Pastor sursum in celo, ego autem deorsum in terra.

150. Frater quidam interrogauit Abbatem Pastorem, dicens: Quid facio, quia pusillanimitis sum dum sedeo: Dixit ei senex: Nullum spernas, neque condempnes & nullis obloquaris, & Deus prestabit tibi requiem, & erit sessio tua sine perturbatione.

151. Dixit senex: Non iudices fornicatorem, si castus es; quoniam similiter legem preuaricaris. Etenim qui dixit: Non forniceris, dixit: Ne iudices.

152. Ad quandam solitariu uenit presbyter cuiusdam basilicæ, ut consecraret ei oblationem ad communicandum. Veniens autem quidam ad illum solitariu, accusauit apud ipsum eundem presbyterum. Qui cum ex consuetudine iterum uenisset ad eum, ut consecraret oblationem, scandalizatus ille solitarius non aperuit ei. Presbyter autem hoc uiso discessit. Et ecce uox facta est ad solitariu, dicens: Tulerunt sibi homines iudicium meum. Et factus est uelut in excessu mentis, & uidebat quasi puteum aureum, & siculam auream,

& funem aureum, & aquam bonam ualde. Videbas autem & quendam leprosum haurientem & refundentem in uase, & cupiebat bibere, & non poterat propter quod leprosus esset ille qui hauriebat. Et ecce iterum uox ad eum, dicens: Cur non bibis ex aqua hac? quam causam habet qui implet? implet enim solummodo & effundit in uase. In se autem reuersus solitarius, & considerans uirtutem uisionis, uocauit presbyterum, & fecit cum sicut & prius sanctificare sibi oblationem.

153. Fuerunt duo fratres magna uita in congregatione, & meruerunt uidere singuli gratiam Dei in alterutrum. Factum est autem aliquando, ut unus ex eis egrederetur in sexta feria extra congregationem, & uideret quendam mane comedentem. Dixit autem ei: Hac hora manducas in sexta feria: Die autem sequenti facta est celebratio Missarum secundum consuetudinem. Intuens uero frater eius, uidit gratiam, qua ei data fuerat discessisse ab eo & contristatus est. Qui cum uenisset in cellam, dicit ei: Quid fecisti, frater, quia non uidi, sicut pridem, gratiam Dei in te? Ille autem respondens dixit: Ego neque in actu, neque in cogitationibus conscius mihi sum alicuius mali. Dicit ei frater eius: Nec sermonem odiosum alicuiquam locutus es? Et recordatus, dixit: Etiam, hesternam die uidi quendam comedentem mane, & dixi ei: Hac hora manducas in sexta feria: Hoc est peccatum meum: sed labora mecum duas hebdomadas, & rogemus Deum ut mihi indulgeat. Fecerunt ita: & post duas hebdomadas uidit frater gratiam Dei iterum uenientem super fratrem suum, & consolati sunt, Deo, qui solus bonus est, gratias referentes.

154. Venerunt aliquando senes in Scithi, & erat cum eis Abbas Ioannes Nanus, & dum comederent, surrexit quidam presbyter uir magnus, ut daret per singulos uasculum aque paruam ad bibendum: & nemo acquieuit accipere ab eo, nisi solus Ioannes Breui. Admirati sunt autem ceteri, & dixerunt ei: Quomodo tu cum sis omnium minor, presumpsisti ministerio uiri uiri senis & magni? Et dicit eis: Ego quando surgo dare aquam, gaudeo si omnes biberint, ut mercedem acquiram: nunc igitur propterea ego suscepti, ut faciam ei qui surrexit inuenire mercedem, ne forte etiam contristet nullo sumente ab eo. Hac cum dixisset, admirati sunt omnes de discretionem eius.

155. Frater interrogauit Abbatem Pastorem, dicens: Perturbatio mihi sit, & uolo derelinquere locum istum. Et dicit ei senex: Pro qua causa? Et ille dixit: Quia audio uerba de quodam fratre, que me non edificant. Et dicit ei senex: Non sunt uerba que audisti? Et dixit ei: Etiam, pater, uera sunt: nam frater qui dixit mihi, fidelis est. Et respondens dixit: Non est fidelis, qui tibi dixit; nam si esset fidelis, nequaquam diceret tibi talia. Deus autem audiens uocem Sodomorum, non credidit, nisi descenderet & uideret oculus suus. Et ille dixit: Et ego uidi oculis meis. Hac audiens senex, respexit in terram, & tenuit parnam festucam, & dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Festuca est. Iterum intendit senex ad eundem cella, & dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Trabs est, que portat celum. Et dixit ei senex.

ei senex: Pone in corde tuo, quia peccata tua sic sunt sicut trabes hae; illius autem fratris de quo loqueris, velut haec parua festuca. Audiens autem Abbas Sifois hunc sermonem, admiratus est, & dixit: In quo te beatum faciam, Abbas Pastor? Verumtamen velut pretiosus lapis, ita verba tua gratia & gloria plena sunt.

156.

Venit aliquando monachus quidam ab vrbe Roma, qui in palatio magnam locum habuit; & habitabat in Scithi in vicinitate ecclesiae; habebat autem secum vnu seruum qui ministrabat ei. Videns autem presbyter Ecclesiae infirmitatem eius, & cognoscens quia de delictis esset vir ille, id quod ei Dominus donabat, vel quod in ecclesiam intrabat, transmittabat ei. Qui cum fecisset viginti quinque annis in Scithi, factus est vir contemplator, prauidentis & nominatus. Audiens autem quidam de magnis monachis Aegyptii opinionem eius, venit videre eum, sperans corporalem conuersationem plus apud eum arduam inuenire. Qui cum intrasset, salutauit eum; & facientes orationem sederunt. Videns autem Aegyptius vestitum mollibus rebus & budam de papyro, & pellem stratum sub ipso, & modicum capitale de cartica sub caput eius, sed & pedes mundos habentem cum caligulis, scandalizatus intra se de eo, quia in loco illo non erat consuetudo taliter conuersandi, sed magis duram abstinentiam habere consueuerant. Senex autem ille Romanus habens contemplationem suae prauidentiae gratiam, intellexit quia scandalizatus est intra se de eo Aegyptius monachus, & dicit ministro suo: Fac nobis hodie propter Abbatem qui venit, bonam diem. Et coxit parua olera qua habebat, & surgentes hora competenti comederunt: habuit etiam & modicum vini propter infirmitatem suam, & illud biberunt. Et cum factum esset vespere, dixerunt duodecim psalmos; & dormierunt: similiter autem & nocte. Surgens autem mane Aegyptius dixit ei: Ora pro me. Et egressus est, non edificatus in eo. Et cum paululum discessisset, volens eum ille senex Romanus sanare, misit post ipsum & reuocauit eum. Qui cum venisset, cum gaudio iterum suscepit eum; & interrogauit eum, dicens: Ex qua prouincia es? Et ille dixit: Aegyptius sum. Et dixit ei: Cuius ciuitatis? Et respondit: Ego omnino non sum de ciuitate, nec habitauis aliquando in ciuitate. Et dixit ei: Antequam monachus esses, quid operaberis in possessione, qua manebas? Et ille respondit: Custos eram agrorum. Et dicit ei: Vbi dormiebas? Respondit: In agro. Et dixit: Habebas aliquid stratum? Et respondit: Ego in agro habui habere stramenta in quibus dormirem. Et dixit: Et quomodo dormiebas? Respondit: In terra nuda. Et dixit: Quid manducabas in agro, aut quale vinum bibebas? Iterum respondit: Quae sunt esca aut quale potus in agro? Et dixit: Quomodo ergo vivebas? Respondit: Manducabam panem siccum, & si inueniebam quodcumque de falsamento, & bibebam aquam. Et dixit senex: Grandis labor. Et dixit: Erat ibi vel balneum in possessione, vbi laueris? Et ille dixit: Non, sed in flumine lauebar, quando volebam. Cum ergo haec omnia ab eo senex responsione eius exegisset, & cognouisset modum prioris vitae eius atque laboris, volens eum proficere, narrauit

ei suam vitam praeferitam, quam habebat cum esset secularis, dicens: Me miserum quem vides, de magna illa ciuitate Roma sum, habens in palatio maximum locum apud Imperatorem. Et cum audisset Aegyptius initia verborum eius, compunctus est, & sollicitus quae dicebantur audiebat. Et ille adiecit: Reliqui ego Ramam & veni in solitudinem istam. Et iterum dixit: Me quem vides, habui domos magnas & pecunias multas, & contemnens eas, veni in istam paruum cellam. Iterum dixit: Me quem vides, lectos vestitos te auro habui, habentes preciosissima stramenta, & pro his dedit mihi Deus stramentum hoc de papyro & hanc pellem. Sed & vestes meae inestimabili pretio dignae erant; & pro his vitor has viles rescellas. Iterum dixit: In prandio meo multum auri expendebatur, & pro illo mihi dedit modica olera haec, & paruum calicem vini. Erant autem & qui seruebant mihi plurimi serui, & ecce pro illis vni isti Dominus compunctus, ut seruiret mihi. Pro balneo autem profundo modico aqua pedes meos, & caligulis vitor propter infirmitatem meam. Et rursus pro calami & mirtis vel alio musico opere, quo delectabar in conuiuiis meis, dico mihi duodecim psalmos in die, & duodecim in nocte. Sed & pro peccatis meis, quae ante faciebam, modo cum requie exhibeo parum & inutile ministerium Deo. Vide ergo te, Abba, ut non scandalizem propter infirmitatem meam. Et haec audiens Aegyptius atque in semetipsum reuersus, dixit: Vix mihi, quia ego de multa tribulatione & plurimo labore seculi magis ad repandandum in conuersationem monachi veni, & quod non habebam tunc, modo habeo; tu autem multa ex delectatione seculi, voluntate propria in tribulationem venisti, & ex multa gloria atque diuitiis venisti in humilitatem & pauperitatem. Ex quo multum proficiens adiecit, & factus est ei amicus, & saepe veniebat ad eum sua vilitatis causa: erat enim vir discernens, & repletus bono odore Spiritus Sancti.

Interrogatus est quidam senex: Quid est humilitas? Et respondens dixit: Humilitas magnam opus est & diuinum, via autem humilitatis haec est, ut labores corporales assumi debeant, & adscribat seipsum homo peccatorem, & ponat se subiectum omnibus. Et dixit frater: Quid est esse subiectum omnibus? Respondit senex: Hoc est esse subiectum omnibus, ut non attendat quis aliena peccata, sed sua semper aspiciat, & deprecetur sine intermissione Deum.

Dixit senex Moyses: Quia debet homo quasi mortuus esse ocio suo, hoc est mori amico suo, ut non dimicet eum in aliqua causa.

Dixit iterum: Nisi habuerit homo in corde suo, quia peccator est, Deus non exaudit eum. Dixit ei frater: Quid est in corde habere, quia peccator est? Et dixit senex: Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui.

Interrogauit frater senem, dicens: Ecce homo caedit seruum suum propter peccatum quod egit, quid dicit seruus ille? Dicit ei senex: Si bonus seruus est, dicit: Peccavi, miserere mihi. Dicit ei frater: Nihil aliud? Dicit ei senex: Non, ex quo enim culpam super se posuerit, &

dicat. Peccati. statim miseretur ei dominus suus: finis autem horum est, non iudicare proximum suum. Quādo enim manus Domini occidit primogenita in terra Aegypti, non erat domus in qua non esset mortuus. Dicit ei frater: Quid est hoc verbum? Respondit ei senex: Quia si conspexerimus peccata nostra, non videbimus peccata proximi. Stulticia est enim homini habenti mortuum suum, relicto eo ire & flere mortuum proximi sui; mori autem proximo tuo, hoc est portare peccata tua, & sine cogitatu esse ab omni homine, quia iste bonus est, & ille malus est, & ne facias malum vili homini, neque cogites malum in aliquem, neque spreueris aliquem facientem malum, neque acquiescas facienti malum proximo tuo, & noli gaudere cum eo, qui facit malum proximo suo: & hoc est mori proximo tuo. Et noli obloqui de aliquo, sed dicit: Quia Deus cognoscit unumquemque. Noli ergo obedire detrabenti, neque congaudeas ei in detractioe ipsius. Noli obedire obloquenti proximum suum, & hoc est, nolite iudicare, & non iudicabimini. Non habeas inimicitias cum quocumque homine, neque retineas inimicitias in corde tuo, neque odio habeas eum qui inimicatur proximo suo, & non consentias inimicitias ipsius. Noli despiciere eum qui inimicitias habet cum proximo suo, & hac est pax. In his temetipsum consolare, modicum tempus est labor, & sempiterna requies gratia Dei Verbi. Amen.

161. Interrogavit frater Abbatē Ioannem dicens: Quomodo anima habens propria vulnera, nō erubescit detrabere proximo suo? Cui respondit senex per parabolam: Erat quidam homo pauper habens uxorem: qui cum vidisset aliam mulierem pulchriorem, & ipsam quoque fornicus est in coniugium. Erant autem vir & nuda. Sed cum essent in quodam loco nudina, rogauerunt eum amba, dicentes: Tecum venire desideramus. Quas mittens nudas in dolium, cum nauicula transfretavit, venitque ad locum. Facta autem meridie, cum vna earum populo recedente vidisset silentium, exiliuit in quendam locum dolio vicinum velociter, & veteres atque confissos panos reperiens se praecinxit, & dehinc fiducialiter visa est ambulare. Altera verò nuda sedens intrinsecus, dicebat marito: Ecce meretrix ista nuda est, nec confunditur. Cui maritus cum dolore ait: O miraculum; haec vicumque confusionem suam cooperuit, tu verò vndique nuda non erubescis culpae vel ex parte vestitae: Ita est omnis detractor, qui propria mala non videns, aliena semper accusat.

162. Beatus Antonius dum in cella propria oraret, venit ad eum vox, dicens: Antoni, necdum peruenisti ad mensuram coriarij qui est in Alexandria. Quo audito, senex consurgens mane, arrepto baculo in civitate festinus peruenit. Cumq; ad designatum hominem peruenisset, & ingressus fuisset, ille viso rāio viro obstupuit. Cui dixit senex: Refer mihi opera tua, quia propter te, relicto deserto huc veni. Qui respondens, ait: Nescio me aliquādo aliquid boni perpetrasse. Vnde ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quod omnis haec civitas, a minore usque ad maiorem, ingreditur in regnū Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea poenam sempiternā in-

Lancij Opusc. Tom. 2.

grediar. Quod verbum mane, & antequam quiescā sero, ex cordis mei sentio veritate. Quod audiens beatus Antonius, respondit: In veritate fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua, cum requie regnum Dei adeptus es: ego autē velut sine discretione omne tempus meū in solitudine conuersatus, necdū verbi tui assumpsi mensurā.

Cum Abbas Moyses petiisset ab Abbate Syluano aliqua spiritualia monita, inter illa, hoc ei dedit: Ne te mensures cum magnis, aut iustū te aestimes: sed te crede inferiorem esse, totius creaturae, id est, viliorem quouis homine peccatore. Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Non diiudices proximum, neque desprecias aliena delinquentium, sed tua plange peccata, & de nullius hominis actū sollicitus sit.

Sic S. P. Ignatius faciebat teste. Ribad. l. 5. c. 6. de aliis nunquam detraxit: detrahentibus, aures nunquā patefecit. Alienorū vitia, etiam publica, & que in ore omnium versarentur, in sermone quotidiano ipse nō vsurpabat: & in illa ne alij incurerent, cauebat. Si quid tamen aliis excidisset, ipse vel eleuabat, vel etiam excusabat factum, aut animum certē & voluntatem.

Quod si rei atrocitas excusandi, minuendiq; omnes aditus pracluderet, ed perfugiebat: Nolite ante tempus iudicare. Deus solus intuetur cor. Domino quisque suo stat, aut cadit: cum grauissime ego quidem certē hoc nō fecissem. Vt illud Domini praecipitū penitus in eius animo insedissee videretur: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. De erratis verò domesticorum, mirum silentiū: neq; si quid minus decenter ab aliquo admissum esset, cuiquā aperiebat, nisi forte vt emendaret: & tunc quidem tam modestē ac mansuetē, tam existimationi illius qui peccauerat amicē vt si vnus testis satis esset ad remedium; duos non adhiberet: nudamq; culpam poneret ante oculos, nulla adhibita contentione, aut reprehensione verborum.

Audiui ego ex ipsomet Patre, Confessarium aliquādo a se quaesitum, vt vnam tantū culpam confiteretur. Ea erat, quod erratum cuiusdam tribus Patribus aperuisset, cum duo ad remedium adhibendū sufficerēt: & tamen is erat, qui deliquerat, vt nullo errato diuulgato, nihil eius existimatio apud tertium illum Patrem laederetur. Et ita loquebatur de omnibus, vt singuli bonam de ipsis opinionem illum habere intelligerent, seque illi cordi esse.

De Beato quoque Gōzaga Auditores Rota ad probandam eius Sanctitatem adferunt p. 31 quoddam aliorum dicta vel facta semper in meliorem partem interpretaretur, aut saltem excusaret. Sic etiam faciebat pius quidam Religiosus, de quo S. Dorotheus doct. 16. sic scribit: Audiui, de quodam fratre, qui cum aliquē ex fratribus conueniret, & cellam eius videret incomptā, immundam, incompositam, dicebat secum: O felicē ac beatum hunc fratrem, en vt terrenarum rerum omnium curam abiecit, & sic totam suam mentem sursum ad contemplationem rerum diuinarum extulit: quandoquidem neque proprie celle componendae atque mundandae curam aliquam gerit. Rursus si ad aliquem alium diuertisset, & cellam eius compositam, mundam, ornatam, excultamq; videret, intra se dicebat: en vt de-

- fecata est & munda anima huius fratris, sic enim munda est & bene composita cella eius. Nam ad anima sua statum & puritatem cellam purgavit & composuit. Neque unquam profecto de quoquam male sensit aut dixit: hic incompotus est & sordidus, atque delex: vel hic procaax est, & vanus, ac garrulus. Nunquam de ore suo talia processerunt: sed ex bono & praeclaro mens sua statu, bene ac pie de omnibus iudicabat, atque hoc pacto de rebus omnibus lucrabatur & proficiebat.
166. B. Maria Magdalena de Pazzis vti scribit Puccinus 4. par. vitæ eius c. 31. inter sex res necessarias Religioso, secundo loco id ponit: *Ut habeat mentem adeo bonam ut ex omni re quam videt in proximo suo etiam ex malo, bonum apprehendat.*
167. B. Baptista Verana Monialis S. Clare, vti scribitur à Bartholomæo Cimarello 4. par. Chron. S. Franc. to. 2. l. 7. c. 25. inter monita quæ dedit cuidam Religiose personæ secundum fuit tale: *Ex omni re quam audis & vides, decerpe bonum, accipe rosam, relinque spinam, & quamvis haberes centum rationes, & mille auctoritates S. Scripturæ, quæ possent trahi ad malum, & vnam solam, quæ possit trahi ad bonum, accipe hanc solam, & relinque illas centum, & illas mille. Talis relicitudo cordis dat magnum animum in conspectu altissimi, & eius supplicationes non patiuntur ullam repulsam.*
168. Neque satis est non condemnare, sed defendere opus est: Noli, inquit S. Doroth. l. 17. cognoscere vel inquirere malum proximi tui, neque omnino suspiciones aduersus eum admittas. Quod si malignitate quorundam aliqua disseminatur, stude illa in meliorem intellectum, honestioremque sensum, & cogitationem commutare. Præclare monet Horat. ser. l. sat. 3.
- At pater ut gnati, sic nos debemus amico  
Si quod sit vitium non festinare,  
Parcius hic vinit frugi dicatur, ineptus,  
Et iactantior hic paulo est, concinnus amicus,  
Postulat ut videatur, ac est iraculentior, atque,  
Plus aquo liber, simplex, fortisque habeatur,  
Caldior est, acres inter numeretur opinor,  
Hæc res & iungit iunctos, & seruat amicos.*
169. Quintum remedium est. Habeamus profunde infixam menti, frequenti cogitatione hanc veritatem, quod sæpissimè decepti sumus, alios condemnando, & alios deceptos in nobis condemnandis aliisque, experti sumus: ideo ob talis rei periculum, abstineamus à condemnandis aliis.
170. Solebat S. Ioannes Eleemosynarius suos dehortari à iudiciis temerariis, adferebatque exempla insignia, ut cuiusdam Monachi non senis, qui dum peregrinaretur cum femina iuvene, scandalizabantur omnes; tandem compertum est, illam fuisse puellam hebræam, quæ ab eo cupit ad baptismum adduci, quo percepto ducebat eam quærens eleemosynam, ut ad monasterium virginum posset tradi.
171. Inter alia documenta quæ Sæctus ille vir M. Auila dedit P. Jacobo Guzmano, & P. Gaspari Loarti, vitis in Societate magnis, discipulis suis Societatem ingressuris fuit tale: *Nulla modo cogi-*

sent se ingredi ad iudicandos alios, sed gerant in corde illud dictum cuiusdam monachi: Ego iudicari veni & non iudicare: & ab hoc periculo multum caveant, praesertim qui putat se aliquid scire, quia aliquando hanc ratione perditur gratia Dei, & nisi id seruent, vident valde inquieti & sine consolatione. Alter & alius verbis idem monitum reddidit Orlandinus l. 14. hist. n. 57. sed ego ad verbum ita vti retuli, illud reddidi ex quodam libro manuscripto Romæ mihi ante annos multos donato, à P. Ludouico Malello Assistente Italiae.

Sic etiam P. Petr. Faber, vt autor est Orl. l. 4. c. 22. eius vitæ, in iudiciis ceterum aliquem Societatemque præcipiebat, vt primum illum initiorum spiritum, bonamque opinionem, quam de singulis Sodalibus animo imbibisset, omni ope studioque retineret. Quodsi quando ita accideret, vt vel hanc vel illum amitteret, nunquam cõquiescerent, quoad ea recuperarent, persuasum, penitus haberent, vitio suo fieri quominus sentire de vnaquoque pergerent. Eosdè enim Sodalitese & fortasse meliores, quos in eo cetero reperissent merito, se autem potius cõmutatos, & deteriores efficit.

Sextum remedium. Quando videmus res speciem malam, quæ agrè potest excusari, per primos motus, nec alio modo, tamè non condempnans proximum in corde nostro, multò minus in ore.

Monebat hoc S. Ioan. Eleemosynarius dicens, neminem esse debere velocem ad iudicandum alium nisi in iis rebus quas ipse videt, quia peccata publica videmus, sed penitentiam peccatoris, & velocem mutationem, quæ et D. Deus dare potest in eius corde, non videmus.

Extat in vita S. Ioan. Eleemosynarij c. 33. apud Rosv. p. 197. exemplum S. Vitaliani monachi sexagenarij, qui volens tentare S. Ioannè Eleemosynarium an facile cõdèneret aliquè, noctu ibat ad meretrices modo vnam, modo aliam, quarum catalogum sibi confecerat, & dabat enim æreos nûmos & dicebat: *Dona mihi noctem istam, & noli fornicari, & manebat iuxta eam nocte illa, obseruans eam ne fornicaretur, & stabat à vespere in vno angulo cellula vbi dormiebat mulier, pallens & orans pro ea, & extendens manus & mittens genuflexiones vsque ad auroram: & extens, accipiebat verbum ab illa, quod nulli diceret actionem eius. Hæc res multos scandalizabat, & cum delata esset ad S. Ioannem Eleemosynarium, noluit condemnare eum, quia deceptus erat, semel iubendo punire quendam monachum quia circumducit puellam, quæ postea agnouit innocentem fuisse & conuertit, & circumduxisset iudeam quæ curabat baptizari, & quarebat pro ea eleemosynam vt inter montales posset recipi. Sic facies S. Vitalis multas meretrices cõuertit. Eo mortuo, illa conuersa, publicatur eius arcanum facta. Ante mortem autem in sua cella in pavimento reliquit talem scripturam: *virum Alexandrinum, nolite ante scripturam aliquid iudicare, quoad usque veniat Dominus, quia cum dicta essent S. Ioanni Eleemosynario Patriarcha Alexandrino, descendit cum Clero ad corpus eius, & omnes ille fornicaria conuersa cum cereis & lampadibus præibant eum stantes & dicentes: Perdidimus salutem vestram & doctrinam: Et vnus qui ei dederat aliquid, videns**

eum mane exire à meretrice, à diabolo possessus fuit & ad sepulchrum Vitalij liberatus. Fecit autē & sanitates post mortē honorabile nomen S. Vitalij. Ad hoc confirmandum spectat, quod legimus l. 7. Vit. Patr. c. 1. n. 3. Dixit vnus ex Patribus: Quia inuenitur homo multam comedens & adhuc esuriens continens se, alter autem comedit parum, & satiatur. Qui autem multum comedit & adhuc esuriens continet se, maiorem mercedem habet, quam ille, qui parum comedit & satiatur.

175. Contingit plerumque inquit S. Dorotheus f. 6. vt aliquis ex fratribus rem aliquam in sua simplicitate agat, quae tibi fortasse non admodum arridet. At vero & aliquam aliam rem habet qua Deo mirum in modum, ac plusquam omnis vitae tuae cursus perplectatur: tu autem sedentarius & otiosus illum diiudicas, & animam tuam, ledis. Porro si contigerit vt desectat & labatur, vnde queso tu nosti, quanta ille pertulerit prius quo certamine sudauerit, aut quanto sanguine maduerit, fortasse fieri potest, vt error illius coram Deo tanquam iustitia reputeretur. Intuetur enim Deus agone & laborem illius & afflictionem, quam vt dixi pertulit, antequam errorem illum & casum incurrerit, proindeq; miseretur & ignoscit. Itaque Deus miseretur, & veniam illi praestat, tu verò condemnas & animam tuam perdis. Vnde queso tu nosti quam largas & vberes effundit ille pro delicto suo lacrymas ante conspectum Domini.

176. B. Maria Magdalena de Pazzis vt dicitur in eius vita 4. par. c. 31. inter varia monita quae dabat erat & hoc: si videris aliquam vilem & imperfectam cogita illam habere aliquod donum interius ob quod Deus complacet sibi in ea.

177. Septimum remedium. In examine, hoc peculiari modo scrutemur ne labamur. S. Dorotheus ser. 11. commendans examen conscientiae, tanquam medium à maioribus traditum ad expurgandos & expiandos nos, inter puncta quae iubet examinare ponit hoc Num, inquit fratrem vidi res suas agentem, & temere eum iudicavi, aut contempsi.

178. Caueamus ergo & nos omnia iudicia temeraria omni conatu, Quod non erit difficile si bonum affectum habuerimus erga eum quē condemnatione dignum putamus, & non habuerimus malum affectum erga alterum cuius occasione alium condemnare volumus. Nam vt benè scribit S. Isidorus Pelusiora l. 1. ep. 310. Propter favorē haud acutè cernit: odium autem nihil omnino cernit Ideo optandum est vt quem admodum ait S. Dorotheus doctrina 16. Deus Opt. Max. det nobis statum mentis nostrae optimum, animumque praebeat pie dispositum, vt possimus & nos ex qualibet re proficere, atque lacrarī, & nunquam si iustè aut perperam de proximo nostro quicquam suspicari aut omnino cogitare. Quod si forte aliquando ex mala mentis nostrae perversa dispositione cogitauerimus, aut suspicari fuerimus, aditum mentis nostrae cogitationem in melius conuertamus. Siquidem proximi nostri malitiam & vi-

Lancicij Opusc. Tom. 2.

ciositatem nolle agnoscere, miram in nobis parit cum Dei auxilio bonitatem, quā Deus summo-pere placatur. Illi gloria in secula seculorum. Amen.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

*Viri spirituales & bonae fama non iudicandi aut potius non condemnandi tanquam imperfecti, si humanis laborent affectibus, hi enim etiam in viris sanctissimis fuerunt, sed vel necessarii, vel ex humana fragilitate & surreptione, non ex malitia & imperfectione crassa quandoque erumpentes, sine prauidicio tamen eorum Sanctitatis.*

179. Quod enim aliquando, immò saepe, necessarium sint exerendi affectus passionū quarundam, certissimum est ipsius D. Iesu exemplis demonstratum. Nam et si de illo praedictum est l. 4. 2. 3. Non clamabit, nec audietur vox eius foris: calamus qui cassatus non conteret, & linum sumigans non extinguet. Et quamuis se proposuerit ad imitandum Matth. 11. 29. quod sit mitis, tamen irascebatur quia id erat necessarium. Marci 3. 5. acriter increpabat Iudaeos Matth. 3. 7. & cap. 12. 34. vocans eos, progeniem viperarum, & cum inuenisset in Templo Iudaeos vendentes & ementes Ioan. 2. 15. facto ex funiculis flagello, omnes eiecit de templo, boues quoque & oves, & numulariorum effudit as, & mensas subuertit. Quod fecit sanctissimè, & omnino ita facere debuit ex zelo diuinæ gloriae, verans ne faceret domum Patris sui, domum negotiationis. Ideo discipulis eius, qui non iudicabant temerè; viso hoc eius facto iracundo, recordati sunt: quia scriptum est: Psal. 68. Zelus domus tua comedit me. Irascimini, inquit S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 21. vbi est culpa, cui irasci debemus. Non potest enim fieri, vt non moueamur rei indignitate, aliquā non virtus, sed lentitudo & remissio iudicatur. Plus addit S. Bernardus, aliās totus mitissimus & melleus epist. 69. ad Guidonem. Non irasci, vbi irascendum est, peccatum est. Idem sentiendum est de similibus externis actibus passionum naturalium, qui quandoque apparent in Dei seruis, similes affectibus & actibus hominum valdè imperfectorum. Illi enim moti à Deo, ob causas super naturales nobis ignotas illos & verbis, & factis ostenderunt. Sic S. Elias propheta per impetratum ignem de caelo, necauit centum & duos millos à Rege Ochozia. 4. Reg. 1. Sic eius discipulus S. Elifæus 4. Reg. 2. cum à pueris appellatus esset Caluus, Caluus, maledixit eis in nomine Domini: quae maledictio ad eodē placuit Deo, vt statim egressi duo vrsi ex saltu, lacerauerint ex eis quadraginta duos. Denique & Sancti quandoque peccant, & temerè iudicant; (vt supra ostensum est.) Deo tum ad eorum humiliationem id

l. ii. 2 per-